



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

621. An etiam requirantur literæ Apostolicæ, vel etiam ipsius Executoris super nova illa reservatione pensionis per translationem factæ translatorio, & super prima reservatione, uî & in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Quaestio 619. An necesse sit insuper exhiberi à transferente literas reservationis pensionis, antequam procedatur ad extinctionem pensionis prioris, & creationem novae?

Respondeo negativè: Idque five in facultate transferendi sit facta mentio de pensione in individuo cum illius Data, five secus; cum Executor recipiat jurisdictionem ex sola facultate transferendi, & non ex exhibitione literarum reservationis pensionis. Lott. l. 1. q. 40. n. 44. Corrad. pr. benef. l. 5. c. 5. num. 13. Non obstante, quod iudex, seu Executor ille procedat per viam cassationis antiquae pensionis, & creationis novae similis antiquae; quod facere non posse videtur, nisi ostendatur illi reservatio antiquae pensionis, ut sic videat, an nova pensio sit illi similis. Nam satis est, quod in creatione novae pensionis reservetur pensio antiquae similis, absque eo, quod exprimat qualitas illius, utpote quam sufficit exprimere per relationem ad antiquam, & absque eo, quod iudex, qui est merus Executor, discutiat, qualis sit pensio antiqua. Corrad. *ibid.* citans Rotam in Segobienf. transl. pens. 12. Decemb. 1587.

Quaestio 620. Qualiter praemissis jam praesistis, nimirum electo Executore, exhibitisque literis facultatis transferendi, procedendum ad ipsam translationem: & in specie, num opus sit formalibus & praecisis verbis, quibus ea translatio concipitur in forma dictae translationis?

1. Respondeo primò: Ante omnia cavendum, ut praecedat extinctio pensionis in ordine ad reservationem novae, aliàs translatio ipso jure erit nulla, utpote non servata forma praecisa. Corrad. pr. benef. l. 5. c. 6. n. 7. Lott. l. 1. q. 40. n. 42. dicens, esse hanc decisionem Rotae 40. p. 1. divers.

2. Secundò notandum, extinctionem ipsam non mandari Executori; illa enim permittitur ipsi pensionario, qui etiam sine auctoritate Apostolica illam promovet, modò expeditur super dicta facultate literas, nisi quoque & hoc ipsum, ut literis non expeditis possit illam transferre, concessum & expressum sit. Lott. n. 43. Corrad. *loc. cit.* n. 1.

3. Tertiò notandum, huic formae satisfieri non solum, si explicitè, & verbis expressis extingatur pensio, & similis nova creetur; sed etiam, si id fiat implicitè; siquidem forma praescripta in facultate translationis actu transferendi exigit quidem, ut extingatur pensio vetus, & nova reservetur; sed nequaquam exigit, ut id fiat explicitè, nisi fortè id specialiter in facultate alicui hinc, & nunc concessa esset expressum. Corrad. l. 5. c. 6. nu. 12. & 13. Lott. n. 45. & 46. juxta decis. Rotae 246. n. 10. & 11. p. 1. divers. Ac proinde si transferens coram Executore explicet, se velle transferre pensionem juxta facultatem sibi desuper concessam, quae oculis Executoris subjiciatur, Executor autem hac voluntate intellectà, visàque dicta facultate transferendi, dicat, se pariter transferre juxta eandem facultatem, nihil est, quin dicatur satisfactum forma, quia unusquisque eorum id agere intelligitur, quod ad se pertinet; cum uterque intendat, ut fiat translatio. Lott. num. 47. & 48. Unde jam, si omissis formalibus illis verbis, quibus in facultate concipitur dicta translatio, ea facta fuisset sub ver-

bis aequipollentibus, paucioribus, aut ploribus, dicereturque, v. g. in instrumento desuper confecto: Quòd transferens se spoliavit pensionibus, easque transtulit in N. absque eo, quod dicatur prior pensio prius extincta, & cassata, ac postea alia similis reservata; pro ut cantant verba literarum facultatis transferendi, valida adhuc erit translatio; eò quòd, cum dicta facultas exprimeret translationem dictis formalibus verbis, non de certam verborum formam, sufficiat, quòd illa verborum forma in facultate expressa sit virtualiter servata, licèt sic videatur esse adhibitus modus superficialiter solum diversus; reipsa enim satis impletur illa forma, dum ipse transferens declarat, se velle transferre juxta facultatem, consentiens reservationi faciendae per Executorem, & Executor illum consensum recipiens declarat, se novam pensionem reservare Titio, dum translatio est actus dependens à tali utrimque facto. Corrad. l. 5. c. 6. nu. 9. 10. 11. juxta decis. Rotae 153. p. 5. divers. recent. prout eam citat Corrad.

Quaestio 621. An insuper requirantur literae Apostolicae, vel etiam ipsius Executoris super nova illa reservatione pensionis per translationem facta translatario, quemadmodum super prima reservatione, uti & in provisionibus beneficiorum factis à Papa, opus est expedire desuper literas?

1. Respondeo ad primum primò: In casu ubi translatio facta coram Executore, negativè: translatio enim pensionis de transferente in translatarium facta in virtute facultatis concessae pensionario, & dicto Executori praesentata, habet vim literarum Apostolicarum super nova reservatione illa ab Executore facta; cum Executor quò ad hoc repraesentet personam Papae, ut proinde idem sit, ac si à Papa ipso facta hac translatio, & reservatio in personam translatarii, dum sicut Papa in reservatione pensionis dicit: *reservamus*; ita etiam dictus Executor in translatione istem utitur terminis, ut habetur in ipsa formula facultatis transferendi, ac propterea translatarius praeter instrumentum super translationem facta juxta formam in facultate praescriptam confectum à Notario, non tenetur ad expeditionem aliarum literarum super dicta reservatione pensionis sibi facta. Corrad. l. 5. c. 6. n. 53. & 54. Quinimò hoc ipsum exprimitur in ipsa facultate transferendi his verbis: *declaranes omnes, & singulas cassationes, extinctiones, reservationes, constitutiones, & assignationes vigore praesentium, etiam literis desuper non expeditis faciendas ex nunc pro ut ex tunc, postquam facta fuerint, validas, & efficaces fore &c.* Quam clausulam, ait Corrad. in fine n. 56. ferè semper in hujusmodi indultis seu facultatibus, tam per personis qualificatis generaliter, quam pro aliis ad partem solere adjici ad omnem hæsitationem tollendam, ac quandoque dari adhuc pinguioribus verbis, prout apud eundem *ibidem* est videre. Unde etiam

2. Respondeo ad primum secundò: Idem videri dicendum ob rationis paritatem, eademque applicanda, dum facta ab ipso pensionario coram Notario, & testibus.

3. Respondeo ad primum tertiò: Secus tamen dicendum, seu requiri literas Apostolicas super translatione, seu reservatione nova, dum translatio fit coram Papa, five dum citra obtentam facultatem

tatem pensionem coram Executore, vel coram Notario, & testibus castatur pensio de consensu pensionarii ad favorem alterius, seu ut ea à Papa transferatur in alium, seu alteri reservetur. Corrad. *cit. c. 6. n. 57.*

2. Respondeo ad secundum: Neque requiri literas ipsius Executoris, sed sufficere, ut dictum, translationis instrumentum. Corrad. *n. 58.* uti neque dictus Executor pro validitate facta à se translationis præter observantiam formæ sibi à Papa in dicta facultate præscriptam inquirere in reliqua. Corrad. *ibid.* Quinimò, ut idem Corrad. scire non tenetur, an illa rectè fiat, nec ne; uti nec tenetur ad docendum, quæ Notarius in ipso instrumento translationis scribere debeat per jura, quæ disponunt de tali translatione. Quæ admodum, ut idem, neque testes, coram quibus ea debet fieri, tenentur scire aliquid circa validitatem, vel invaliditatem dictæ translationis; sed tantum tenentur ad exhibendam præsentiam suam, & intelligendum id, quod agitur; cum ad partes, quarum interest, scire pertineat, an actus coram iis factus valeat, nec ne.

Questio 622. An translatio fieri possit sub conditione, seu pacto?

1. Respondeo primò: Non posse eam fieri nec licitè, nec validè sub conditione, seu potius pacto, ut transferens illam (vel etiam aliquid, ut Lott.) exigat, quod ad vixerit. Garc. *p. 1. c. 5. n. 54.* citans Rodriq. *in sum. to. 2. c. 21. n. 7.* Navar. Vegam, &c. item Corrad. *l. 1. c. 5. nu. 53.* addens, id fieri non posse sine simonia. citat Navar. *conf. 65. n. 1. de simon.* Item Lott. *l. 1. q. 40. n. 20.*

2. Respondeo secundò: Neque eam posse fieri licitè, aut validè ab infirmo, sub illa conditione: si mors ex illa infirmitate contingat. Lott. *loc. cit. n. 19.* Corrad. *loc. cit. n. 52.* Garc. *nu. 55.* contra Nav. *conf. 11. de usuris.* apud Garc.

3. Respondeo tertio: Videtur tamen fieri posse sub conditione, si, seu ubi translatus factus fuerit clericus, cum clausula: *ex tunc, cum fuerit clericali charactere insignitus*: in quo casu ante conditionis eventum nihil actum censetur, adeoque poterit transferens usque in illum diem initiationis exigere pensionem, ac si nihil actum. Azor *p. 2. l. 8. c. 7. q. 9.* Lott. *loc. cit. n. 21.* citans Paris. *l. 6. q. 4. nu. 55. & 60.* Gabriel *conf. 185. nu. 3. & conf. 186. per tot. l. 1.*

Questio 623. An translatio requirat consensum pensionarii, & pensionem solvere debentium, aut etiam patronorum beneficii, super cujus fructibus reservata est pensio?

1. Respondeo ad primum affirmativè, ut constat ex forma facultatis transferendi per hæc verba: *de tuo consensu*. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 55.* dicens, debere de hoc consensu constare per publicum instrumentum translationis à Notario confectum. Item debere huic consensum esse expressum, & non sufficere tacitum.

2. Respondeo ad secundum primò: Consensus beneficiarii pensionem gravari ad hanc translationem non requiritur. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 5.* Azor *p. 2. l. 8. c. 11. q. 8.* citantes Gig. *de pens. q. 8. n. 9.* Et sic dictis militibus S. Petri, & Lauretani datam potestatem transferendi pensiones sine consensu illorum, qui eam solvere debent.

3. Limitanda responsio primò: ut in pensionibus impositis ob causam resignationis in facultate data eisdem transferendi nonquam (nisi id exprimat) censetur Papa consentire, ut transferantur sine consensu resignatarii. Castrop. *loc. cit.* Azor *cit. q. 8.* ubi: si verò Papa resignantibus beneficia pensionem reservat, & facultatem transferendi eam concedit, id non facit sine resignatarii consensu, sive hanc facultatem concedat simul cum reservatione pensionis, sive seorsim ac divisim. Additque Azor, hunc consensum præstari posse etiam per Procuratorem, & post mortem Domini.

4. Limitanda secundò: ut, ubi pensio aliàs seu semel translata denuo ex indulto Papæ transfertur, requiritur consensus pensionem solvere debentis. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 58.* Idque ex constitutione Urbani VIII. qui, cum adverteret, in repetita translatione pensionum onus illarum prorogari de persona in personam, & sæpe de moribundo ad sanum, de senè ad juvenem, motu proprio declaravit, pensiones ex quacunque causa, etiam onerosas concessas, & concedendas facultates transferendi quascunque pensiones, seu fructus illarum loco pro tempore reservatos, & reservandos quibuscunque personis, etiam Cardinalibus, non potuisse, nec posse suffragari cuicunque illorum quoad pensiones, aut fructus aliàs translatos, nisi in eis consensus pensiones, aut fructus solvere debentis accesserit, aut nisi id ipsum expressum sit, seu exprimat, quod pensiones, seu fructus jam semel translati sint, vel apponatur clausula: *etiamsi pensiones, aut fructus hujusmodi forsitan aliàs translatae aut, translati fuerint.* Corrad. *cit. n. 58.*

5. Respondeo ad tertium: Ad transferendum pensionem impositam super fructibus beneficii juris patronatus nullatenus requiritur consensus patronorum, etiam laicorum. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 56.* juxta decis. Rotæ *in Placent. pensio. 7. Jun. 1607.* quamvis id limitet *n. 21.* ubi ait: aliud dicendum, quando pensio reservata fuit super fructibus Cathedralium beneficiorum juris patronatus regii, qui, cum ad dictam pensionem in prima illius constitutione, & reservatione nominet personas sibi gratas & acceptas, ita dicta translatio fieri non potest, nisi in similes personas à rege nominandas.

Questio 624. An, & qualiter in translatione fieri debeat mentio qualitatis beneficii gravati, pensionis, aliorumque gravaminum ei impositorum?

1. Respondeo primò in genere: Regulariter in translationibus pensionum non requiritur mentio qualitatum beneficii, super cujus fructibus imposita pensio, sed sufficit, eas expressas in literis super ipsa prima reservatione illius pensionis expeditis. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 20.* Lott. *l. 1. q. 40. n. 86.* ubi: quod supposita facultate transferendi indeterminata, jam transitus ille, seu translatio pensionis impediri nequit ratione qualitatis beneficii, super quo imposita pensio; quia pensio est semper eadem, nec novum gravamen per translationem imponitur. Proceduntque hæc à fortiore, ubi in facultate transferendi non narratur particularis pensio reservata, sed datur facultas transferendi quascunque pensiones. Corrad. *cit. c. 5. n. 28.* ubi: quod tunc dicta facultas non sit restricta ad pensiones tantummodò reservatas ante datam literarum